

VII. Neq̄ valet hic exceptio, quod è versionibus & Lexicis etiam Scripturæ sensus intelligi queat & investigari. Nam (1.) nulla versionum tam est perfecta, quæ non fontibus illustranda veniat. Melancht. p. 67. Förster. p. 15. (2.) Sunt scripta hominum, qui & labuntur multipliciter, & eruditionem seu scientiam, seu prophetiam non nisi ex parte habent; Sacer autem codex scriptum est omniscii & ἀναμαρτίτου DEi, ad cuius majestatem versiones non accedunt. D. Franz. cit. p. 66. 87. Unde & Lutherus ipse fateatur, se errare cum aliis in versione suâ Bibliorum potuisse. P. 58. p. 103. (3.) Versiones eam gratiam nunquam habent, quam fontes, sed illa semper minuitur, & perit, quoties in aliam linguam transfertur, ceu vinum quod in alterum aut tertium vas transfusum acescit. Forsterus. cit. p. 15. (4.) Vocum primogeniarum accurata significatio in aliam linguam æq̄ feliciter transferri non potest, sed peculiaria nonnulla occurrunt vocabula, à communi consuetudine aliarum linguarum recedentia, quæ non nisi è fontibus explicari possunt. Proëm. p. 14. 33. 61. exempla vide in voce ΔΥΥ p. 36. (5.) In tantâ versionum copiâ in multa discrimina & errores, nisi quis ipse fontium gnarus sit, potest præcipitari Proëm. p. 46. 48. (6.) Lexicis confidens sæpissimè fallitur, tum ob diversas Authorum sententias, tum quòd uni voci duo aut tria aut etiam plura attribuerunt significata. Forsterus. p. 15.

VIII. *Necessitatem excipit utilitas*, quæ uti non minor est ex hoc studio, sic non minus ad illud excolendum Theologiæ cultores permovere debet. Inservit verò præcipuè 1. ad res in Scripturâ patefactas tum divinas tum humanas cognoscendas. 2. ad Biblia S. in alias Linguas transferenda. 3. ad Disputationes Theologicas conscribendas. 4. ad Contiones habendas. 5. ad refutandos Adversarios. Pr. p. 83. 84. & deniq̄ *versiones dijudicandas*, quæ non sunt semper ejusdem notæ. v. g. Psalm. I. v. 1. D. Luther, noch sitzt da die Spötter sitzen. Dietenbergerus & Zanger. Ist nicht gessen auff den Stuel der Pestilens. Alia versio Germanica Antiquior. Ist in dem Meister-Sessel der Schelmen nicht gessen p. 104.

IX. Ad rerum tum divinarum, tum humanarum cognitionem.